



22. XX

Q. F. F. F. Q. S.

DE

LANCEA

QVA

PERFOSSVM LATVS

JESV CHRISTI

SVPERIORVM CONSENSV

CVM COMMILITONIBVS

PLACIDE DIMICAVNT

PRAESES

CASPAR SAGITTARIVS

PHILOS. MAG. ET SS. THEOL. DDVS.

ET

RESPONDENS

PHILIPPVS LANGE

FRANCOFVRT. MARCHICVS

AD D. DECEMBRIS ANNI *cl3 l3c* LXXIII.

J E N A E

STANNO BAVHOFERIANO.



Q. F. F. O. S.

DE

LANCEA

QVA

PERFOSSUM LATVS

IESV CHRISTI

SUPERIORVM CONSENSV

CVM COMMUNITONIBVS

PLACIDE DIMICAVIT

PRÆSES

CASPAR SAGITTARIVS

PHILOSOPHVS ET S. THEOLOGVS

ET

RESPONDENS

PHILIPPVS LANGE

FRANCOPVRT. MARCHIVS

MD. D. DECEMBRIS. MDCCLXXIII.

J. E. M. A. E.

STANNO BAVHORIANO.





CAPUT I.
SUMMARIVM.

1. Varia lectio in Johanne c. XIX. 34. 2. λόγχη & λόγχα pro SORTITIONE. 3. λόγχη in genere denotat omne ferrum acutum, quo extrema militum cuspidantur. 4. speciatim significat hastæ militaris cuspidem. 5. per synecdochen ipsam hastam. 6. Nonnus pro λόγχη μάχαιραν dixit. Heinsii censura in Nonnum. 7. Eadem exploditur. μάχαιρα apud Nonnum designat FERRUM LANCEAE. 8. λόγχη apud Pindarum an VEXILLUM. 9. Tertulliani LUNCHUS. λογχαῖον λογοχοφός, λογχωτός. LONCHITIS herba. 10. Lancea an a λόγχη an a LANCE. 11. Lancea Gallicæ originis. Hellebard. ἄγχι Eufathii & Agathia ex German. λανζε corruptum. 12. Lancea num apud Hispanos nata. LANCIA urbs. LANCIENSES populi. 13. Vossii conciliatio. 14. Lancea forte Germanis natales debet. Cimbrorum & Suevorum lanceæ. λανζε/ λανzenfnecht pro quo corrupte dicitur λανdsfnecht. Cheruscorum HASTÆ INGENTES & ENORMES forte fuerunt lanceæ. LANCEAE UNCATAE apud Sidonium. 15. Lanceis usi sunt Græci. Posteriores Græci lanceas appellant μέναιλα. 16. LANCEOLA Lanceari. Lanceatus. 17. Romani lanceis usi. 18. λόγχη seu Lancea apud Johannem non tam BIPENNEM, quam HASTAM COMMUNEM MILITAREM designat.

§. I.

CHRISTI in cruce demortui latus a militum uno Lancea fuisse perfossus, solus S. Johannes Evangelista his verbis commemorat, cap. XIX. v. 34. Εἰς τῶν στρατιωτῶν λόγχη αὐτῆ τὴν πλευρὰν ἤνοιξε. Vulgatus legisse videtur ἤνοιξε: quasi sit ab ἀνοίγω: unde vertit: Unus militum lancea latus ejus aperuit. Sed in omnibus codicibus est ἤνυξε, peripugit, vulneravit. Est enim ἤνυξε a νύπτω vel νύσσω. Videtur tamen Augustinus quoque ἤνοιξε legisse: quod hæc ejus verba arguunt: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit; aut quid aliud: sed aperuit.*

A 2. Ue

Et illinc quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesie manaverant.

§. II. In hanc Lanceam militarem cum paulo curatius inquirere apud animum constituerimus, ante omnia Græcæ vocis significatio detegenda est. Λόγχη & λόγχα Ionibus fortitionem, portionem, & ut nonnulli volunt, quietem quoque denotavit. Hinc apud Hesychium legas: λόγχα ἄπολαύσεις, fruitiones. Et sic origines vocabuli procul dubio ἀλαγχάνω, fortior, adipiscor, obtineo, arcescere voluerunt.

§. III. Sed hæc significatio rarior est. Vulgatiores ea, quæ quodlibet ferrum acutum, quo omnium missilium extremitas cuspidatur, denotat. Julius Pollux lib. V. cap. III. tam venabulis, quam jaculis λόγχας tribuit. De jaculis, quæ ἀκόντια sunt: Αἱ δὲ λόγχα αὐτῶν ἐπιλατῆς: Cuspides eorum late sunt. Mox de Venabulis, quæ περὶ βόλια nuncupat: Αἱ δὲ λόγχα αὐτῶν ἔσσωσεν σιδήρης τομωτάτης: Cuspides eorum e ferro sunt maxime penetrabiles.

§. IV. Sæpissime autem pro hastæ militaris cuspidē sumitur. Hesychius: λόγχη, ὁ τῆς δόρατος σίδηρος. Sic Pollux lib. X. cap. XXX. δόρατων, quæ pila sunt, cuspidem ita vocari notat: ἡ ἔπιδορατὶς σιδήριον λόγχη, αἰχμή, ἐπιδορατὶς: Pili ferrum prominens, λόγχη cuspidis (acies) dicitur. Hoc sensu Herodotus lib. I. Τὸ ξυστὸν τῆσι λόγχησι ἐὼν ὁμοίως χρύσειον. Hastile cum suis cuspidibus similiter aureum. Idem lib. V. Τὰς λόγχας κατέω ἐἰς τὴν γῆν τρέψαντες: Hastarum cuspidibus deorsum in terram defixis.

§. V. Per notissimam denique Synecdochen λόγχη pro ipsa hasta acuminata sumitur. Quod si vero quæras, qua notione vocem λόγχης S. Johannem putemus usurpasse; non minus quadrare textui credimus, si dixerimus ipsam intelligi hastam, quam acuminatam hastæ cuspidem. Quamvis enim proprie vulnus cuspidē inflictum sancto corpori: per com-

mu-

munissimum tamen loquendi modum id toti instrumento
solet tribui, quod parte ejus geritur. Solam cuspidem com-
memorat Sedulius Poeta Christianus, & non vilis in Ecclesia
existimationis lib. V. Carminum.

— Jam spiritus artus

Liquerat ad tempus, patulo jam frigida ligno

Viscera pendebant, & adhuc furor arma ministrans

Cuspide perfossum violat latus.

§. VI. Atque hoc cuspidatum λόγχης ferrum intellexit
Nonnus, quando *Paraphrasi in Johannem μαχάισρη* CHRISTI
latus perfossum canit:

Ἄλλὰ θορῶν ἀκίχνητ' ἀνῆρ ἀνεμῶδει λόγχῃ
πλευρῆν πᾶσι μέλασαν ἀφειδῆν ὕξε μαχάισρη.

Quæ hoc modo vertit Daniel Heinsius: *Sed currens incompre-*
hensibilis vir levi lancea latus carum non parcenti vulneravit gladio.
Sed hæc versio clare ostendit, mentem Auctoris nequaquam
cepisse Heinsium. Quod adhuc luculentius apparet ex iis
quæ in *Aristarcho*, seu *Exercitationibus sacris* ad hunc locum
scribit cap. XXIX. *Quæro quo pacto miles impius id τῆ μαχάισρη fe-*
cisse a Nostro dicatur. Quod non capio, ut alia non pauca. Sanè μά-
χαιρα Polybio & aliis Hispaniensis in militia Romana ensis dicitur:
breve telum, ideoque & velitibus plerumque assignatum. Velim au-
tem scire, quomodo pertingere eo potuerit ἡ μάχαιρα, quomodo qui ea
usus est, tam alte penetrarit, ut pericardion, quod vulgo creditum, tra-
jiceret. Sed, ut cetera omittam, an oblitus fuit λόγχην ab Evange-
lista poni? Omitto Evangelistam. An oblivisci potuit, λόγχης men-
tionem etiam a se superiori versu factam? in ὀ ἀνεμῶδει hanc dixisse?
quo misilia notari a Poetis solent. Quanquam tale nihil in Evan-
gelista exstet, qui adactam manu hatam penetrasse innuit. Sane nun-
quam satis admirari lector poterit, quomodo quod λόγχῃ factum est,
idem machæra sit factum. Et tamen ita locus habet.

§. VII. At vero fluctus hic in simpulo movet Heinsius,
nullaque de causa rigidum Nonni cenforem agit. Cogitari

nimirum debuisset, μάχαιραν Nonno non denotare enses il-
lum Romanum, sed *ferrum lanceæ*: ut proinde non immerito
Heinsius cum censura sua vapulet celeberrimo Salmasio Epi-
stola I. de *Cruce* ad Thomam Bartholinum perscripta, & hujus
Disertationi de *Latere CHRISTI aperto*, quæ Lugduni Batavo-
rum anno clc XLVI. lucem adspexit, conjuncta.

§. VIII. Erasmus Schmidius *Commentariis in Pindari Neo-
menicas*, λόγχην quoque vexillum denotare contendit. Verba
Pindari, ex quibus hoc exculpere conatur, hæc sunt.

Ἡ μὰν ἀνόμοιά γε δαί
οισιν ἐν θερμῷ χροῖ
ἔλκεα ῥῆξαν πολεμιζόμενοι
ὑπ' ἀλεξιμβρότῳ λόγχα.

Certe dissimilia (Ulysses & Ajax) hostibus in calido corpore vulnera
inflixerunt, militantes sub homines defensante vexillo. Hæc Schmi-
dii sententia etsi aliquibus non probatur. Si perpenderit ta-
men, hastam vexilli loco quandoque habitam, nulla, ceu pu-
to, vis Pindaro inferetur.

§. IX. Ab hac græca voce λόγχη Tertullianus verbo-
rum novator format *Lunchus*. Ita enim libro de *Corona
Militis: Requiescens super luncho*, quo perfossum est *latus CHRI-
STI*. Alias Græca exinde descendunt sequentia: λογχαῖον, *hastatus*; λογχοφόρον, *hastam ferens*: ut apud Arrianum λογ-
χοφόροι milites, qui in legione Romana vocabantur *Hastati*:
λογχωτὸς, *cuspidatus*: λογχίτις, *Lonchitis*, herba cujus se-
men involucris clausum lanceæ simile. Dioscorides lib. III.
cap. CXLIV.

§. X. Ceterum quam Græci λόγχην solent appellare,
hæc Latini nuncupant *Lanceam*. Vnde & natales latinæ
vocis ex Græcia nonnulli repetunt. Diserte Festus: *Lancea*
a Græco dicta, quam illi λόγχην vocant. Idem placet Philoxe-
no Glossarum auctori. Isidorus Origin. lib. XVIII. cap.

VII.

VII. a Latinis arcessit: *Lancea* inquiens, est hasta amentium habens in medio. Dicta autem *Lancea*, quia aequa lance, id est, aequali amento ponderata vibratur. Isidorum præeuntem sequitur Pontanus *Progymnasm. lib. IV. Notis ad Dialog. XXII.* Et quod mireris, quoque Lipsius *lib. IV. Poliorcet. Dialog. IV.*

§. XI. Artamen alii *Lanceam* ex Gallia aut Hispania petunt. Gallis hac in re favet Diodorus Siculus *lib. V.* scribens: *ἄσθβαλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγύιας καλεῖσι, πηχυαίας τῷ μήκει τῆ σιδήρου, καὶ ἐπὶ μείζω.* Hæc Poggius Florentinus ita vertit: *Faculis insuper bellant, quæ illi Lanceas vocant, ferro cubiti, aut amplius, longitudinis.* Videtur Diodorus describere, quas hodie Galli *Halebarde* Germani nostri *Hellebard* appellant. Veteres tamen Franci *ἄγχος* vocant, si Eustathio credimus hæc scribenti: *ἄγχος εἶδος δόρατος φεγγυκῆς, ἔτε λίαν μακρῆς, καὶ τὸ πλεῖστον σιδήρῳ περιέχεται: ἄγχος species hastilis Francisci non valde longi, cuius potior pars ferro circumdata.* De iisdem Agathias de rebus gestis Justiniani, cuius ex græco latine versa damus. *Sunt Angones haste quædam, neque admodum magnæ. Sed & ad iactu feriendum, sicubi opus fuerit; & ubi cominus collato pede confligendum, accommodatæ. Hæ pleraque sui parte ferro sunt obductæ, ita ut parum ligni laminis ferreis nudum conspiciatur, atque vix imæ haste cuspidis tota. Supra vero ad extremitatem spiculi adunci quidam mucrones utrinque prominent, ex ipso spiculo instar hamulorum inflexi & deorsum vergentes.* Sed credibile est, ex *Lancea* Gallorum, quibus in hodiernum diem id nominis manet, non intellecta Eustathium & Agathiam *ἄγχος* suum fabricasse.

§. XII. Gallis tamen *Lanceam* adimens, Varro Hispanis restituit. Sic enim Gellius *lib. XV. cap. XXX.* *Varro cum de petorrivo dixisset, esse id verbum Gallicum, lanceam quoque dicit non Latinum, sed Hispanicum verbum esse.* Et sane pro
Hispa-

Hispanis est, quod non uni Hispaniæ oppidò hinc nomen. Florus lib. IV. cap. XII. *Reliquias fusi exercitus validissima civitas Lancia excepit.* Maxima Asturiæ urbs Dioni prædicatur lib. LIII. Orosius quoque meminit lib. VI. cap. XXI. Λαγκιάτης itidem in Asturia statuit Ptolemæus: inque veteri Inscriptione nominantur *Lancienses oppidani & Lancienses Transcudani.* Tum vero hodie Hispani hastam vocant Lança.

§. XIII. Vosius lib. I. de Vitiis Sermonis cap. III. hæc sic conciliat: quod origo Lanceæ Hispanis debeatur: inde traducta ad Gallos: de quibus sciverit Diodorus, homo Græcus, ut propioribus, & magis cognitis: sed Romanis quia per bella Hispani notiores, quam Græcis, idcirco in illis primum observasse lanceas.

§. XIV. Verum fortassis non erraveris, si ab antiquissimis Germanis, qui migrationibus suis magnam Europæ partem impleverunt, & rem & nomen devenisse dixeris. De Cimbris Florus lib. III. cap. III. *Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis fuit: quum objectis undique plaustris atque carpentis alta desuper quasi e turribus, lanceis contisque pugnarent.* Svevos lanceis armat Sisenna lib. III. apud Nonium: *Galli materibus, Svevi lanceis configunt.* Et videtur sane antiquissima esse vox Germanica *eine Lanze*/ unde & pedites *Lanzen Knechte* soliti sunt vocari: quod postea in *Lands Knechte* vertit. Sic Britanni, quorum sermonem ex Saxónico fonte maximam partem profluxisse notum est, hoc armorum genus *Launce* nominant. Præterea *ingentes* illæ ad *vulnera facienda hastæ*, quibus Cheruscis in prælio contra Cæcinam usos tradit Tacitus Annal. I. cap. LXIV. quasque *enormes* nuncupat Germanicus Cæsar, pila & gladios suorum illis præferens; forsan non sunt aliæ, quam de quibus agimus, Germanorum lanceæ. Sidonius quoque Apollinaris in apparatu

paratu nuptiali Sigismeris Gothi lanceas ^{uincatas} quoque Domnitio suo enumerat lib. IV. Epist. XX.

§. XV. Tandem & lanceis usi sunt Græci ac Roman i. De Horata Macedone Curtius lib. IX. Igitur Macedo, hanc dubius eminus interfici posse, lanceam emisit. Sed Græci posteriores non λόγχας, vel λαγκίας, sed μέναιλα dixerunt. Quomodo Julius Africanus de Apparatu Bellico, & Constantinus in Tactis usi. Explicat id Leo Imperator in Tactis cap. VI. §. XXXII. Οἱ μὲν εἶχον κοντάρια, οἱ δὲ τὰ λεγόμενα μέναιλα, ἅπερ οἱ ἀρχαῖοι λόγχας ἐκέλευν. Habebant contaria, id est, hastas, quas nunc menavla vocant: quæ olim antiqui lonchas nominabant.

§. XVI. A Lancea descendunt Lanceola, Lanceari, Lanceatus. Lanceolis Sacerdotes Baaliticos armat Interpres Vulgatus I. Reg. XXIII. v. 28. Incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Lanceari proprie est lancea vulnerari: quo devideatur observatio Vossii lib. IV. de Vitiis Sermonis. cap. XII. Lanceatus pro lancea perfosus apud Julium Firmicum legas: Quicumque habuerint horoscopus in XXI. parte Tauri lanceati morientur. At in Onomastico Latino Græco, quod Vossius laudato loco affert, lanceatus exponitur λογχωτός, quod est lancea instructus; vel cuspidatus in modum lanceæ.

§. XVII. Romanos quoque lanceis usos diximus. Neque tamen tam rigidi sumus in exponendo Johanne, ut Lanceam intelligamus bifurcatam, quæ Bipennis dicitur, quamque Germanis, Gallis & Hispanis in usu fuisse diximus. Suffecerit si communem hastam militarem per λόγχην designari statuerimus: siquidem & Tacitus hastis lancearum nomen tribuit; & Pelagius Episcopus Alexandrinus in concione de Epiphania apud Theodoretum Dialogo III. cap. XXVIII. vocat σπάθη, spatham.

B

CAE

CAPVT II.

SVMMARIVM.

1. Ex Peditum cohorte fuit miles latus CHRISTI fodiens, non Eques. 2. Xavierius, cum Equite suo exploditur a Salmasio. 3. Pedites quidam Romani hastis fuerunt armati, atque inde dicti HASTATI. Hi primi pugnam auspicabantur. 4. Distincti erant ordines Hastatorum dignitatesque. 5. Livius a Turnebo illustratus. 6. Benemeriti milites HASTA PURA donabantur. Hastæ puræ forte fuerunt deauratæ. 7. Ignavis militibus hasta adimebatur; perfidis confringebatur. 8. Miles apud Johannem ex Hastatis fuit. 9. De nomine hujus militis. Beda LEGORRIUM vocat. 10. Alii LONGINUM. Varia lectio in Xavierii HISTORIA CHRISTI Persica. Xavierius forte Ignatii nomen tribuere voluit huic militi, ut inde Ignatii Lojolaë sectæ Jesuiticæ aliquid honoris accederet. 11. Xavierii perfidia in incrustanæa CHRISTI Historia notatur. Auctores MANUALIS Augustino tributi primus LONGINUM finxit, quem sequuntur Bonaventura, Martyrologia varia, Petrus de Natalibus. 12. Epitaphium Longini. Vidæ versus. 13. Longini nomen Romanum ex Longus factum. Longini celebres. 14. Longini militis nomen ex λόγχη. Talen-tonii in hanc rem verba nimium perspicua. Codri elegantiora. Quidam militem nostrum cum centurione divinitatis CHRISTI teste confundunt. 15. Baronius notatur quod Longini nomen centurioni soli vindicet. 16. Ferunt militem hunc cæcum fuisse & sanguine ex latere in oculos stillante visum recuperasse. Baptistæ Mantuani versus & Xavierii verba de eo. 17. Commentitium hoc est miraculum. 18. Ejus origines ex B. Gerardo ostenduntur. Censura L de Dieu. 19. Aliæ fabulæ de Longino, quæ inscriptione Pseudo-Longini sepulcrali obsignantur.

§. I.

UNum ex militibus, hoc est, ex Peditum cohorte ausum fuisse id facinoris, & lanceam in CHRISTI latus adegisse tradit S. Evangelista. Pedes inquam erat miles ille, non ex Equitibus. Nam στρατιώτης absolute non dicitur, nisi de pedite: cum equites semper Græcis ἵππεῖς vocarentur. Tum vero reorum custodia non committebatur equitibus, sed peditibus. Et cruciarii quoq; non accipiebant equites custodes, sed pedites.

§. II. Non igitur fides est habenda Hieronymo Xavierio Jesuitæ, qui in *Historia CHRISTI Persica* a Ludovico de Dieu edita, notisque illustrata hunc militem equo insidentem sistit: quomodo & appellant ii, qui Scripturam Bohemica reddiderunt lingua: & ita fingit promiscuum Pictorum vulgus. In Xavierium eo nomine graviter invehitur Salmasius *Epistola altera ad Bartholinum* scribens: *Tu vis non peditem fuisse,*

fuisse, sed equitem militem illum, quem Scriptura dicit venisse ut latronibus, & CHRISTO crucifixis crura frangeret? Quo istud argumentum? Equitem sane fuisse qui latus CHRISTI lancea aperuit, historiam CHRISTI Persicam a Xaverio conscriptam tradere ais. Sed bene addis: Xaverium divinasse. Ego vero dico, pro ceteris suis dictis & hanc imposturam esse Lojolita summam. Miseros illos populos, quos tales Evangelistae Doctrina CHRISTI imbuendos susceperunt. Evangelium illud Persicum mendacis refertissimum etiam hic nobis imponit, dum pro peditibus, equitem supponit.

§. III. Ut autem nullus dubitationi relinquatur locus, age de peditibus demonstrabimus, apud Veteres Romanos hastis fuisse instructos. Scilicet in singulis legionibus certus erat numerus, qui hastis depugnabant, iidemque singulariter Hastati vocabantur. Varro lib. IV. de L. Latina Hastati dicti, qui primi hastis pugnabant. Signanter Varro: qui primi pugnabant. Nempe Hastati plerumque omnium primi pugnam inibant. Livius lib. VIII. ubi de instructione aciei contra Latinos: Prima acies hastati erant manipuli quindecim distantes inter se modicum spatium. Manipulus leves vicenos milites aliam turmam scutorum habebat. Leves autem, qui hastam tantum gessaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem juvenum pubescensium ad militiam habebat. Et paucis interjectis: Ubi his ordinibus exercitus instructus esset, Hastati omnium primi pugnam inibant. Si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant, tum Principum pugna erat. Hastati sequebantur. Idem lib. XXXVII. Hastatorum prima signa; deinde Principum erant: Triarii postremos claudabant.

§. IV. Erant & suæ dignitates & munia in hastatis, perinde ut in ceteris militibus legionariis. Nam idem Livius lib. XXX. de Scipione cum Annibale pugnaturus: Instruit de-

inde

inde primos hastatos, post eos Principes. Et de ipso prælio: Qui primi erant hastati, per cumulos corporum armorumque & labem sanguinis, qua quisque poterat, sequentes hostem, & signa & ordines confuderunt. Mox etiam mediæ Hastatorum aciei meminit. Et lib. XLII. Spurius Ligustinus virtutis causa T. Quintium Flaminium decimum ordinem hastatum sibi assignasse, perorat. Idem paulò post: Hic me Imperator (M. Portius Cos.) dignum iudicavit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret.

§. V. Æquum est, ut hic Turnebum audiamus, qui Livium haut perfunctorie illustrat. Hastatorum, inquit, in legione Romana numerus erat ad mille ducentos, interdum etiam major. Decimus igitur ordo est decimi centurionis hastatorum. Sic primus hastatus dicebatur primi hastati centurio, qui ducentarius erat, duasque centurias ducebat, ut Vegetius lib. II. cap. VIII. ait. Quamquam existimo duos centuriones primi hastati fuisse: unum prioris centuriæ: alterum posterioris. Secundus hastatus secundi hastati centurio, qui centuriam semis ducebat. Livius mox scribit: Hic me Imperator dignum iudicavit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. In primo hastato duæ erant centuriæ, ut diximus, quæ suum quemque primum hastatum vel centurionem primi hastati habebant. Earum centuriarum altera prior, altera posterior dicebatur. Honestior autem ordo erat prioris centuriæ. Adversarius. lib. XXX. cap. XXXII.

§. IV. Ad hæc qui in prælio strenue pugnasset, & præclarum aliquod facinus edidisset, hasta pura, hoc est, sine ferro, donabatur. Auctore M. Varrone id docet Servius ad illud Virgilii lib. VI. Æneid.

Ille (vides?) pura juvenis qui nititur hasta.

Pura, inquit Grammaticus, id est, sine ferro. Nam hoc fuit præmium apud majores ejus, qui tunc primum vicisset in prælio; sicut ait Varro in libris de gente populi Romani. Quamquam alii Poetam hoc

hoc loco ἀνείματον λόγχην, *inertentam hastam* intelligere putant: ut in isto Propertii lib. IV. Eleg. III.

Pura triumphantes hasta sequatur equos.

Verum quicquid sit de loco Virgilio, de ritu ipso certi sumus, eidemque adhuc sub Caesaribus locum fuisse scimus. Suetonius Claudio cap. XXXVIII. *Libertorum præcipue suspexit Posidem spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit.* Sic Flavius Vopiscus in vita Aureliani sermonem Valeriani recitat, quo Aureliano *hastas puras decem decrevit.* Idem Vopiscum vita Probi testis est: *Ipsam bello Sarmatico jam tribunum, quod transmissio Danubio multa fortiter fecisset, publice in concione donatum esse hastis puris quatuor.* Simpliciter de donativo hastarum Festus: *Romani fortes viros sæpe hasta donarunt.* M. Cato Oratione ad Equites apud Festum: *Majores seorsum ac diversum precium paraverunt bonis atque strenuis: Decurionatus, Optionatus, Hastas Donaticas, aliosque honores.* Et Plinius de L. Siccio Trib. Pl. lib. VII. Nat. Hist. cap. XXVIII. *Donatus hastis duodeviginti.* Quia autem Josephus lib. VII. de Bello Judaico in donis militaribus numerat *δέξατα μακρὰ χρυσὰ* colligere inde licet, hastas ejusmodi deauratas fuisse.

§. VII. Et cum semel de militari hasta cœperimus differere, id loco non incommodo monere visum est; quod ignavis militibus, & qui alias deliquissent, hasta in pœnam adempta fit. Sic enim colligimus ex Festi libro de verbis Veteribus: *Censio hastaria dicebatur, dum militi multa nomine ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret.* Vel, si grave esset delictum, hasta confringebatur. Ammianus Marcellinus de Juliano puniente desertores in prælio Perfico lib. XXV. *Ad indignationem justam Imperator erectus, ademptis signis distractisq, omnes eos qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captivos agere iter imposuit: ductore eorum, qui solus fortiter decer-*

rarat, alii turmæ apposito, cuius tribunus turpiter prælium deseruisse
convincebatur.

§. VIII. Ceterum uti dubio caret nullo certos milites
Romanos hasta vel lancea instructos: ita facili negotio col-
ligere est, ex illo ordine unum fuisse, qui sua lancea mortuum
CHRISTI corpus crudeliter aggressus est.

§. IX. Quodnam huic militi nomen fuerit, sic equi-
dem existimo, neminem certo posse definire. Apud Bedam
tamen in Collectaneis, quæ in calce Tomi III. apparent,
LEGORRIVS, (modo lectio sit genuina) nuncupatur. Dic
mibi, inquit, nomen illius militis, qui punxit latus Domini JESU
CHRISTI. Dico tibi: Legorrius dictus est.

§. X. Non memini id nominis apud quemvis Veterum
me reperire. Et tamen nullus dubito, quin Beda, sive quis
alius Eclogarum auctor est, antiquiorem exscripsisse. Sed
plurimum est sententia, LONGINI nomen habuisse. In Xa-
vierii Historia CHRISTI Persica sic habetur in versione
Ludovici de Dieu: quamquam in notis marginalibus monet
idem Editor in autographo esse *دین* quod corru-
ptum putet pro *دین* Longus, qui vulgo Longinus: nisi
forte aliud ei dare nomen Auctor voluerit, nempe Inatius seu Ignatius,
Arabum sonante, ut Ti Latinorum, sequente vocali. Et in
Animadversionibus ita scribit: Scripturam Persicam intuenti ap-
parebit, nomen militis in MS. optime legi Inatius, id est, Ignatius.
Fortasse opportunum maxime videbatur, præclarum hunc militem
tanto miraculo decoratum (de eo mox dicemus) ipsius JESU san-
guine a cecitate liberatum, & e milite præcipuum fidei Antistitem
factum, Jesuiticæ sectæ Auctori ac Patrono Ignatio Lojolæ, olim
etiam militi, cognominem facere, ut vel inde sectæ Ignatianæ decor
aliquis ac splendor accederet.

§. XI.

§. XI. At reformet Xavierius hunc militem in *Ignatium*, nemo certe nostrum absque Veterum suffragio eidem erit credulus. Videat autem ille, quomodo Deo rationes exposcenti responderit, quod tam Sanctam *JESV CHRISTI* historiam frivolis quibusdam fabulis incrustare non fuerit veritus. Nos de Longini nomine erimus solliciti, quod apud antiquos Scriptores quosdam reperire est. Primus forsitan id in medium attulit Auctor illius *Manualis*, quod in Appendice Tom. IX. Operum Augustini Editionis Antwerp. anni *MDLXXVII.* comparet, & ex libellis aliquot Augustini collectum est. In hoc *Manuali* illa leguntur cap. *XXIII. Longinus aperuit mihi latus CHRISTI lancea, & ego intravi.* Hunc sequuntur Bonaventura, cujus sermonem sequenti capite adducemus, & varia Martyrologia. Romanum quod vocatur, ista habet Idibus Martii: *Cæsareæ in Cappadocia passio S. Longini militis, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur.* Idem eodem die præfert Vsuardus, cujus hæc sunt verba: *In Cæsarea Cappadociae passio S. Longini, qui latus Domini lancea perforavit: ut in gestis ejus invenitur.* Gemina fere scribit Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus *Catalogi Sanctorum lib. III. cap. CCI.* Verum Ado Episcopus Viennensis ejus passionem refert in *Kl. Septembres:* quo die sequentia affert: *Apud Cæsaream Cappadociae (Natalis) beati Longini, militis & Martyris: quem tradunt illum esse, qui lancea latus Domini JESV CHRISTI pendentis in cruce aperuit. Hic postmodum baptizatus est ab Apostolis, cum apud Cappadociam sanctitate præcipuus degeret: tandem ab Octavio Præside comprehensus post confessionem fidei, lingua abscisa & dentibus excussis, capite truncatus est.* At Græci in Menologio martyrium ejus recensent *XVII. Kl. Novembris:* quo etiam Longini centurionis Acta descripsit Metaphrastes: ex quo Aloysius Lipomannus *tomo VI. San-*
ctorum

Etorum & Laurentius Surius tomo II. Sanctorum sua hauserunt.

§. XII. Huc etiam spectat Epitaphium, quod prope Lugdunum ad confluentem Araris & Rhodani in fano S. Mariae Insulae Barbarorum (ut appellant) conspicitur.

QVI SALVATORIS LATVS IN
CRUCE CVSPIDE FIXIT
LONGINVS HIC IACET.

Longini quoque nomen placuit M. Hieronymo Vidæ, non ignobili superioris seculi Cremona oriundo Poetae lib. VI. Christiad. v. 60.

Hic ausus solus, lato cui lancea ferro

Longinus sanctos violare ignobilis artus.

§. XIII. Longini nomen ex Romanis est. Noti sunt Velius Longinus, Grammaticus, cujus de Orthographia libellus superest: Casius Longinus Ictus: Dionysius Longinus Rhetor, cui elegantem *περὶ ὑψους* (de sublimi Charactere) commentationem debemus. Eruti a Justus Justinus; ab Augustus Augustinus; a Marcello Marcellinus; a Macer Macrinus: sic a Longus descendit Longinus. Ejusdem nominis plures in Martyrologiis prædicantur Martyres, quorum unus sub Cæsare Maximiano miles cum commilitonibus privatus militari zona fuit: ut est in Martyrologio Romano VIII. Kl. Julii.

§. XIV. Nostro Longino hoc nomen ipsam peperisse lanceam, facile mihi persuaderi patior. Adscribam ea de re verba Johannis Talentonii, qui ineunte præsentis seculo in Parmensi Gymnasio Philosophiam & Medicinam docuit, ex *Thesouro Rerum Reconditarum* lib. II. cap. IX. Baronii & Codri sententiam si quis sequi maluerit, opinionem eam ex eo forte mansisse poterit dicere, quod lanceam Græci *λόγχην* vocant, ut ait Festus
Pom-

Pompejus, & quod γ apud Græcos ante χ, κ, ξ, & aliud γ profertur ut
ν, & quando est ante κ non solum profertur ut ν, sed etiam ipsum κ pro-
fertur ut g: eaque propter πέφαγγα exprimentes, dicimus Pephanga.
Quare cum dictione λόγχι, id est, lancea, usus sit Evangelista,
in qua γ est ante χ, credens quispiam, literis Græcis modiocriter tin-
ctus, id convenire literæ χ posse, quod ipsi literæ κ tribui solere dictum
est, dictionem illam pronuntiavit Latine Longi. Imperiti autem
postea forte punctum illud, quod literæ superponitur, notam esse putan-
tes, quæ literæ ν alibi quandoque vim habere solet, Longin debere le-
gi putarunt, eaque voce eum intelligi, qui Domini nostri latus aperire
est ausus. Potuit etiam forte error a lingvæ Græcæ imperito oriri, qui
accentum acutum literæ ο superpositum putavit esse notam literæ Ν a-
pud Græcos, ut est apud Latinos & illorum γ esse g, ut reapse est: χ vero
librariorum incuria esse factum, quod debuisset esse Latinorum ypsilon,
& Η litera Ν. Hæc Talentionius: & quidem adeo aperte at-
que perspicue, ac si cum septuennibus pueris ageret: ut in his
profecto tam ambitiosum titulum vix mereatur liber. Lon-
ge sane elegantius ea de re differit ad quem ipse provocat
Codrus Vrcus Sermone X. ubi ostendit, quod usque ad ri-
dicula in Etymologia verborum perventum sit. Volo, inquit,
unum & alterum joci causa vobis enarrare. Postquam igitur de
ridiculo Diaboli etymo a duobus bolis quibus hominem devo-
ret sumto, quædam attulisset, verbis jam afferendis pergit:
Audite aliud magis ridiculum. In Iohannis Evangelio legitur:
Αλλ' εἰς τῶν τραπωτῶν αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἐνυξε. Nostri Theo-
logi, sive sono vocabuli Græci decepti, uti apud Græcos λόγχι, id
est, lancea, scriptum est, crediderunt percussorem illum Longinum
esse appellatum: & ita in illum hoc nomine exclamantes invehun-
tur nostri Theologi, sive divini verbi seminatores, Longinum pro-
prio nomine militem illum appellant: non miror, si nos ridemus: quo-
niam & diabolum ipsum, & illum, quem isti dicunt Longinum, puto,

C

si

fitalia audiunt, maximos risus excitare. Quod ad summam rei attinet, consentiunt in conjectura etymi Longiniani B. noster Gerhardus *Harmoniae Evangelicae cap. XVIII.* & Gerhardus Johannes Vossius *Harmoniae lib. II. cap. XI.* Huius nonnulla vel propterea adscribam, ut appareat, aliquos Centurionem Divinitatis CHRISTI testem cum lanceario milite nostro confudisse. Etiam illud in quaestione est, utrum hic miles fuerit idem, ac centurio ille, qui cum terra motum, aliaque miranda, quae fierent, CHRISTO in cruce pendente, conspiceret, confessus est, eum vere esse Filium Dei: ut legere est Matthaei XXVII. 54. Sed diversos censeo cum Luca Brugense in Job. XIX. 34. Nec enim persuadere mihi possum, centurioni, CHRISTVM confitenti, animum fuisse istiusmodi, ut adigere lanceam per latus CHRISTI sustineret. Sed omnino, qui praecclare adeo de CHRISTO sentiret, atrox facinus iudicasset, sic sacrum corpus violare, seu vivi, seu mortui. Et post pauca: Sed multum metuo, ne primo miles, cuius nomen nesciretur, a lancea, qua aperuit CHRISTI latus, Longini nomine sit donatus: posteaque ita etiam centurio dici coeperit, idque occasione ea, quod miles idem ac centurio ille crederetur.

§. XV. Baronius tamen Cardinalis, nequaquam ferre potest, militi nostro Longini nomen tribui: quod pro dictatoriali auctoritate sua soli centurioni, de quo ex Vossio audivimus, vindicat Tom. I. Annal. ad ann. Christi XXXIV. pag. 180. edit. Romanae an. c. d. lxxxviii. Predictum vero centurionem (haec Baronii verba sunt) Longinum nomine appellatum fuisse, CHRISTIque fidem secutum, abdicasse se a militia, ac denique ad martyrii palmam advolasse, qui ejus res gestas scripserunt, (exstant apud Metaphrast. die XVI. Octobr.) testantur. Ex quibus redarguuntur, qui ex Apocryphis quibusdam scriptis tradiderunt, Longinum nomine, eundemque caecum fuisse militem illum, qui lancea latus Domini aperuit. Ex iisdem Actis deinde quaedam
reci-

recitatur inferius ad eundem annum pag. 199. Sed profecto eadem verisimilitudinis ratione asseritur, Longinum dictum fuisse centurionem illum, qua alii militi nostro hastato id nominis tribuunt: hoc est nulla, vel exigua: mirorque non immerito, qui Baronius sui oblitus a Martyrologiorum auctoritate, quam tanti sapissime alias facit, decedens, eadem inter Apocrypha numerare nullus dubitet. Mea certe hæc est sententia, non minus Longini centurionis nomen, quam nostri *ερατιώτης* confictum esse.

§. XVI. Neque tamen contenti fuerunt illi, nomen commentitium militi imponere: addiderunt insuper miraculum non vulgare: nempe Longinum hunc erumpente ex latere CHRISTI sanguine, & in oculos stillante, visum recepisse. Sequi illos superiori seculo non dubitavit magni spiritus Poeta Baptista Mantuanus, quando Fastorum libro sic cecinit:

Tu cæcus non mente minus, quam corpore, sanctum

Lancea & admoto pectus, mucrone petisti!

Inde cruor confusus aquis hastilia circum

In digitos lapsus tetigit cum lumina, morbum

Sustulit.

Idem commentum suo quoque calculo firmavit Xavierius, cujus verba integra, prout a Ludovico de Dieu sunt versa, subjicio: *Vnus ex militibus, Longinus nomine, experiendi gratia hastam in latus dextrum Domini JESU verberavit, & ex latere benedicto ejus aqua & sanguis fluxerunt, & per hastam in manum ejus venerunt: adeo us sanguis ille sanctus a manu ejus, non mediante manu in oculum ejus venerit, atque ille qui ob defectum visus, quasi cæcus erat, e vestigio visum receperit. Statim ab equo descendit, & nobilitate fidei nobilitatus fuit, ipsumque pro Deo adoravit, & ex precipuis Religionis factus est.*

§. XVII. At vere cæcutiunt, me CHRISTE, quibus

hæ arrident nœniæ. Dic enim, quæso, qui homini oculis capto lanceam in latus CHRISTI contorquere datum fuerit? Igitur, ut incrustent fabulam, Petrus Comestor & Petrus de Natalibus, caligantes Longino tribuunt oculos, qui, cum sanguis CHRISTI forte fortuna fuerit admotus, videndi acumen receperint. Isidorus in *Harmonia* B. Gerhardi laudatus testatur: quod altero oculo privatus affluxu sanguinis eundem receperit.

§. XVIII. Non immerito autem quæras, quid ansam dederit hominibus, tam licenter talia fingendi. B. Gerhardi hæ sunt cogitationes: id primum velut in dramate quodam confictum fuisse ad significandam Spiritualem sanguinis CHRISTI efficaciam, & paulatim mysticum hunc sensum in literalem vertisse. Placet hic censuram jam aliquoties laudati Ludovici de Dieu ex *Animadversionibus in Excerpta ex Xavierii Histor. Pers.* afferre: *Ipsum miraculum neque priscis Patribus memoratum, & per se adeo futile est & putidum, ut non magis Evangelicis rebus quadret, quam stercorea aromatibus.*

§. XIX. Ejusdem autem est farinae, quod Vincentius in *Speculo Historiali lib. VII. cap. XLVII.* Longinum nostrum Martyrem Octonio Præsidi, Judici suo & excæcato, sed ad cadaver ipsius pœnitentiam agenti visum restituisse, nescio cujus fide, commemorat. Nec minus putidum figmentum est, quod Pindarus in *Speculo Passionali articulo ultimo* tradidit Longinum ab Apostolis plenius instructum abdicata militia Casareæ Cappadociæ XXX. annis monasticam vitam duxisse. Nihil igitur restat, quam ut Longino scribamus Epitaphium.

HAVE. LECTOR

HIC. SITVS. EST. LONGINVS

QVI. NVNQVAM. CHRISTI. LATVS. CVSPIDE. FIXIT

ABI. IN. REM. TVAM

ET. QVI. ME. COECVM. FVISSE. PVTAS

OCVLIS. TVIS. COLEYRIVM. PARA

CA-

CAPVT III. SVMMARIVM.

1. De parte corporis, quam Lancea transfixit. *πλευρῆ* vocatur a S. Johanne. LATVS A LATENDO dicitur. LATVS in homine quid designet. 2. Lateris morbus dicitur *πλευρητις*. Singularia de hoc morbo afferuntur ex Medicis antiquis. 3. PLEURETIS & PLEURESIS a sequioris ævi Scriptoribus vocatur. 4. *πλευρῆ* latius quandoque sumta pectus includit. 5. Dextrum an sinistrum latus percussum. Hoc vult Lucas Brugensis. 6. Istud probat Iuo, Innocentius III. Papa, Athanasius Junior, Bonaventura, Bernhardus, Goffridus, Brigitta, Barlaeus, Xavierius, Kiritenius. 7. Incertum quodnam latus percussum. 8. An utrumque latus vulneratum. Negatur. 9. Veteres in dimetienda vulneris magnitudine curiosi. 10. Veterum testimonia cor læsum afferentia. 11. Idem sentit Marcus Vigerius Disput. DE PRAESTANTIA ET DIGNITATE LANCEAE LONGINI: Item Franc. Collius libro DE SANGVINE CHRISTI. 12. Quidam aquam lateris CHRISTI ex pericardio derivant. De aqua pericardii quædam. 13. Non putamus lanceam cor penetrasse. Aqua pericardii exigua. 14. Si cor CHRISTI perforatum, cicatricem dubio procul incredulo Thomæ monstrasset. 15. Male Vincentius Ferrerius abdomen a milite vulneratum statuit. Bartholini Pater & Filius ex sola pleura aquam lateris CHRISTI derivant. 16. Miraculosus ille fluxus aquæ sanguinisque. 17. Qui ferrum Lanceæ inter pectus & femur adactum ad cor penetrasse putant, innituntur crucis altitudini; quæ frustra inculcatur. 18. Quæritur: quo animo miles CHRISTI latus aggressus. De illo non credibile implere voluisse S. Scripturam. Per *ἴνα* denotatur rei eventus. 19. Plurimi putant militem veritatem mortis CHRISTI explorare voluisse. 20. Refellitur illa sententia ex ipso S. Johanne. 21. Ex sola id factum militis petulantia: quam incenderunt forte Judæorum proceres. 22. Mirum qui miles nec auctoritate conversi Centurionis, nec miraculorum magnitudine fuerit territus.

§. I.

POSTquam de milite, qui Lanceam in CHRISTVM demortuum contorsit, pro re nata disseruimus, partem quoque corporis contemplantur, in quam se penetravit Lancea. Hæc *πλευρῆ* ab Evangelista nominatur. *πλευρῆ* & *πλευρῆ* Latinis *Latus* a *latendo* dicitur, quod lateat condaturque sub axillis: ut bene scribit Isidorus *Originum lib. XI. cap. I.* Est enim *Latus* illud totum, quod sub ala est: quæ verba sunt Rufi Ephesii libello de *Appellatione partium corporis humani lib. I. cap. XI.* a Junio Paulo Crasso Medico Patavino latine verso. Proprie igitur *πλευρῆ* universum illud corpus designat ab alis ad costam quod descendit.

§. II. Et quia in hac corporis regione singularis morbus jam ab antiquo fuit deprehensus, hinc appellari cœpit

πλευρίτις, hoc est, ἀλγῆμα τῶν πλευρῶν, ut est apud Hippo-
cratem in *Prognosticis*, & ὀδὴν πλευρῶν apud eundem passim.
Et πλευρικοί inde sunt dicti, qui huic morbo essent obnoxii.
Cœlius Aurelianus lib. II. cap. XIII. *Pleuritis a parte corporis,*
quæ magis patitur, nomen sumsit. Latus enim ipsa passione vexatur,
quod Græci pleuron vocaverunt. Actuarius de methodo medendi
lib. IV. cap. IV. Si dolor in latere obfirmatur, id a loco patiente
πλευρίτις Græcis nominatur. Scribonius Largus Composit. Med.
XCIV. Qui lateris dolorem cum febre sentiunt, Græci πλευρικός
vocant. Aretæus Cappadox de causis & signis acutorum morbo-
rum lib. I. cap. X. Sub costis, dorso & internis pectoris ad jugula us-
que tenuis membrana robustaque ossibus inhaerens, substrata est, cui
nomen succingens indicum est. In hac quum Phlegmone suborta fu-
erit, ignis adest cum tussi & sputis variis. πλευρίτις morbus iste ap-
pellatur. Morbum hunc acutum lateris, ita enim nuncupat Q.
Serenus Sammonicus in Præceptis de Medicina, sive Lateralem
dolorem, ut appellat Plinius, latius describunt sequentes Me-
dici Veteres: Alexander Trallianus de arte medica lib. VII.
cap. I. Paulus Ægineta de re medica lib. III. cap. XXXIII. Aetius
Tetrabibli II. Serm. IV. cap. LXVIII.

§. III. *Pleuritis* dicitur hic morbus Valeriano Plinio
lib. V. cap. IV. & barbaris quibusdam *Plevresis*, inter quos est
Matthæus Gradius in *Rhasen*, & Hubertus in *vita S. Gudilæ*, a-
pud Bollandum VIII. Januarii; cujus hæc sunt cap. IX. §.
XXXVI. *Quicumque sub tuæ misericordiæ confugerunt alas, aut pleu-*
resi dira pulsati, recepta sanitate cuncti ad sua redierunt leti.

§. IV. Neque tamen ἡ πλευρῆς latus tantum signat, sed
quandoque notionem suam extendit ad ossa, eamque partem
corporis, quæ costarum sepimento munitissima est: adeoque
& pectus ipsum *lateris* interdum nomine Medicis venire ob-
servatum. At enim quia πλευρῆς in Evangelistæ, quem præ
manibus habemus, loco non tam internas corporis partes,
quam

quam externum vulneris inflicti locum designat, agendum spectemus, qua parte corpus CHRISTI lancea militis læsum patentem fissuram pertulerit. De latere non est qui dubitemus; quandoquidem id diserte indicet vocula Evangelistæ.

§. V. Hic tamen in questionem venit, utrum latus fuerit percussus: dextrumne an sinistram. Pro sinistro militat Lucas Brugensis in Johannis cap. XIX. *Non pectus aperuit miles, inquit, ut quidam pingunt, sed latus, idque sinistram; quamquam pictores dextrum notent.*

§. VI. At aliis aliud videtur. Nam pro dextro latere pugnant Ivo Carnutensis Epist. CCXXXV. *Hostia, quæ juxta calicem consignatur, sic debet esse posita, ut sua & calicis positione dextrum CHRISTI latus representet.* Innocentius Tertius lib. II. *De Sacro altaris Sacramento cap. LIV. Calix ponitur ad dextrum latus, quasi sanguinem suscepturus, qui ex latere CHRISTI dextro creditur vel cernitur profluxisse.* Athanasius, non vetustus ille, sed multo junior *de Passione Imaginis CHRISTI, qualiter crucifixa est in Beryto Syria civitate libello: in quo huc respiciens, Hebræos Parrum suorum vestigia secutos valido ictu lancea latus dextrum Leonis percussisse scribit.* Bonaventura libello *Meditationum: Unus autem Longinus nomine (tam impius & superbus, sed post conversus & martyr & sanctus) lanceam de longe, eorum preces & rogamina contemnens latus Domini dextrum vulnere grandi aperuit.* Bernhardus Sermon. VII. in Psalm. XV. *Et quidem Dominus JESUS post cetera inestimabilis suæ erga nos beneficia pietatis etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quod videlicet non nisi de dextra mihi propinare vellet: non nisi in dextra ponere locum refugii.* Goffridus Abbas Vindocinensis, S. Priscæ Cardinalis, seculi XI. Scriptor, cujus Opuscula Jac. Sirmondus anno hujus seculi X. edidit *Sermon. V. de Resurrectione Domini: In illa sancta cruce de ejus latere dextro exiit sanguis & aqua: sanguis, quo nos a diaboli potestate redimeret: aqua, qua nos a peccatis mundaret.* Et pau-

paucis interjectis: De latere *CHRISTI* dextro sanguis & aqua potius exisse dicitur, non de sinistro. Nam quod per sinistram illius manum, hoc ipsum per latus ejus sinistrum accipimus; humanae videlicet carnis susceptionem: per dextrum vero latus ejus, quod per illius dexteram intelligimus, divinam scilicet majestatem. Quin & S. Brigitta vidit (non id ex narratione B. Virginis accepit, ceu per ἀμείλιχα μνημονίων in Harmonia scribit Vossius) lanceam dextro in fixam lateri. Ita enim legimus lib. VII. *Revelationum* cap. XV. Sic stantibus turbis in circuitu, venit unus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in ejus latere dextro, tam vehementer & valide, quod quasi per aliam partem corporis voluit pertransire. Non ignobiles igitur secutus est auctores nobilissimus Poeta Caspar Barlaeus, quando *CHRISTVM* in cruce affatur:

Dextra tibi perfossa riget: mea sola scelestae est,

Nec sentit poenam noxia dextra suam.

Innocuum qui mucro latus transfixit, aberrat:

Debentur lateri vulnus & hasta meo.

Etiam de dextro latere transverberato legas in *Historia CHRISTI* Persica Xavierii. Favet quoque huic opinioni Arabicae Versionis Auctor, teste Petro Kirstenio Medico, Arabicae literaturae apprime gnaro, cujus haec sunt verba in Praefat. *Grammat. Arabicae: Circumstantiae sacrarum literarum utilissimae, quae in nullius alterius linguae textibus reperiuntur, in Arabicis libris explicantur. Ut v. g. Joh. XIX. 34. latus illud Servatoris nostri JESV CHRISTI in cruce pendentis, quod militum unus lancea aperuit, dextrum fuisse, omnes textus Arabici, tum typis excusi, tum calamo exarati summa constantia docent.*

§. VII. Interim etsi pro dextro latere plures pugnent, quam pro sinistro; nec sic tamen id est certum satis, nec temere licuerit asserere, utrumvis sit percussum.

§. VIII.

§. VIII. Sed non desunt, qui utrumque latus perfossum autumant. Eustathius enim Antiochiæ Episcopus & Confessor apud Theodoretum Episcopum Cyri *Dialogo I.* τὰς τετραμένας πλευρὰς memorat. Nota hic denuo lapsum memoriæ Vossianæ, quandoquidem *lib. II. Harmoniæ c. XI.* scribitur Theodoretum *Dialogo II.* affirmare CHRISTVM discipulis ostendisse perforata latera. Neque enim unquam *Dialogo II.* quando in hac causa versatur, multitudinis utitur numero, imo nec primo illud, nec tertio *Dialogo* reperias. Leo Magnus quoque *Epist. XCVIII. cap. III.* vocat *vulnera lateris.* Est vero synecdoche numeri, cujus plurima tum in sacris, tum in externis scriptoribus reperiuntur exempla. Prudentius tamen Amœnus, quem diversum nonnulli statuunt ab Aurelio Prudentio, revera utrumque latus trajectum cecinit. Sic enim in *Epigrammate*, cui titulus: *Passio Servatoris:*

*Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem
CHRISTVS agit.*

Nec aliter sensisse videtur, si est alius, Aurelius Prudentius Peristephan. hymno XIII.

*Ipsæ loci est Dominus, laterum cui vulnere utroque
Hinc cruor effusus fluxit, & inde latex.*

Ne de eo dicam, quod in *Apotheosi v. 288. costarum vulnera* memoret. Nos vero utriusque lateris vulnus non admittimus, sed Evangelistam secuti unum tantum latus a milite perfossum existimamus. Brigittæ visionibus num tantum fidei habendum sit, qui tam valide lanceam in latus CHRISTI affixam putemus, ut pœne per aliud latus transiverit, ceu *Revelat. lib. I. cap. X.* habetur, in illo S. Scriptoris silentio, non immerito dubitamus.

§. IX. Curiosus, fateor, in dimetienda vulneris magnitudine fuerunt Veteres, dederuntque junioribus quærendi oc-

D

casio-

caſionem, utrum non latus ſolum, ſed etiam pericardium, hoc eſt, membrana illa nervoſa ac tenuis, qua veluti ſepimento quodam cor vallatur, uti definit Rufus Ephēſius lib. II. cap. XIII. & ipſum porro cor, fuerit perforatum.

§. X. Crediderunt hoc Veteres Chriſtiani, quando ſaceris Eccleſiæ cantilenis hians CHRISTI vulnus conſpectui quaſi dederunt. Occurrunt in iisdem & hi verſiculi: *Dulcis haſta latus Dei Te replevit ſanguine, Dulcis mucro per cor Dei, Volvitur in flumine.* Itemque iſti: *Si cor habes maculatum, Inſpice vulnus tam latum, Cordis ejus, illinc fluit Unda, quæ ſordes abluunt.* Sic Auctor Sermonis de duplici martyrio, Cypriano tributi: *Erat & illud præter naturæ curſum, quod ex latere animali corporis ſanguis & aqua profluit: ut abſolveretur triplex teſtimonium, totum effudit ſpiritum, ut nos reſpiraremus: quicquid erat humoris aquei reliquum, expreſſit, ut nos ablueremur: quicquid reſederat in corde ſanguinis, emiſit, ut nos confirmaremur.* In Brigittæ viſionibus lib. I. cap. X. Maria virgo inquit: *Tunc mihi videbatur quaſi cor meum perforaretur, cum vidiffem cor filii mei chariſſimi perforatum.* Atque iterum lib. II. cap. XXI. *In corde punctus erat tam amare & immiſericorditer, quod pungens non deſtitit, donec lancea attigit coſtam, & ambæ partes cordis eſſent in lancea.* Et denuo lib. IV. cap. LXX. *Modico autem tempore poſt aperto latere, & extracta lancea, ſanguis in cuſpide quaſi brunei coloris apparuit: ut ex hoc intelligeretur cor tranſfixum: quæ punctura cor meum penetravit. Et mirum fuit, quod & ipſum non crepuit.*

§. XI. Inſedit quoque hæc opinio Marco Vigerio Epifcopo Prænēſtino & Cardinali Seno-Galliēſi in Controverſia, quam juffu æqualium ſuorum de præſtantia & dignitate lanceæ Longini Pontifici Romano a Turcarum Imperatore miſſæ, præ Tunica Inconſutuli, quam ipſe Bajazethes ſibi reſervarat, olim ipſe conſcripſit, poſt a Simone Begnio Modruſiēſi

siensi Episcopo typis divulgata. Tractatu enim IV. primas lanceæ defert, quia non extrema solum, ut tunica, sed sanctissimi corporis medium attigit & nobilissima; vel forte loca cordis, & ipsum attigit cor: ad quæ in morte CHRISTI omnis vigor vitalis humoris in exhausto corpore reliqui, ut ad arcem muniendam, & ad proprium domicilium se contulerat: qua forte de causa sanguis defluxit, & aqua per lanceam. Postea paucis interjectis: Ferrum autem aqua perfusum est; quam de fonte intimi cordis eduxit, & de micanti mucrone rubens & sanguinolentum spiculum regio sacerdotalique sanguine cruentatum exstitit. Præsenti seculo hanc sententiam amplexus est Franciscus Collius, Theologus Mediolanensis, qui sinuoso de Sanguine CHRISTI volumine ex corde sanguinem produsse pro indubia propositione recepit. Neque aliter sentiunt haud pauci ex Nostratibus Theologis.

§. XII. Atque hæc sententia eo redditur probabilior, quod sicuti ex corde sanguis, ita ex pericardio aqua derivari possit, cuius fluxum tam sollicitè descripsit S. Johannes Evangelista. Aquam sane Pericardii agnovit Hippocrates, aut, si is non est, Auctor tamen antiquissimus libri de Corde, itemque Galenus lib. V. de locis affectis. Hinc Georgius Bertinus Campanus lib. V. Medicinæ methodice comprehensæ cap. IX. ita de eo dislerit: Pericardium continet aquosum humorem, ut cor calidissimum viscus eo velut rore madeat & facilius palpitet. In vulnere cordis cum hic humor aquosus effluit, statim mors consequitur. Unde Evangelistæ (quot quæso, fuerunt Bertine ex Evangelistis hæc qui commemorentur) ad significandam CHRISTI mortem ex corde, vulnere accepto in latere, aquam exisse, vere ac sapienter scriptum reliquerunt. Pro pericardio quoque læso stat Emanuel Tremellius, qui in Notis marginalibus ad Johannem hæc verba concepit: Hoc vulnere pleno facta fuit mortis CHRISTI fides. Nam effusa aqua ex hoc vulnere indicavit ferrum usque in pericar-

dion penetrasse, illius videlicet aquae conceptaculum, quo vulnerato
neesse est omne animal protinus mori. Etiam Theodorus Beza,
Hugo Grotius, et Jacobus Tirinus huc inclinant.

§. XIII. Verum enim vero quo minus existimem lan-
ceam militis penetrasse cordis regiam, sacer textus facit, qui
non nisi *πλευραν* ostendat. At cordis partes per latus expri-
muntur nusquam; & longior flexus fuisset per latera ad cor
vibrare hastam. Huc accedit, quod aqua illa pericardii mi-
noris quantitatis sit, & vix cochlearis mensuram excedat:
quamquam in putrescentibus & diu mortuis copia soleat esse
major.

§. XIV. Plurimum porro ad augendam increduli Tho-
mæ fidem contulisset aperti cordis oculata demonstratio. Ne-
que enim Servator redivivus peccatoris conversioni tanta
cum sollicitudine incumbens cordis sui penetrabile incredulo
offerre prætermisisset, si eam tyrannidem & vulneris hia-
tum fuisset expertus. Tantum tamen abest, ut propterea
improbem veterum ac recentium Theologorum de corde
perforato dicta, ut potius pias & devotas illorum meditatio-
nes magni faciendas aestimem.

§. XV. Longius a janua vulneris aberrant, qui in ab-
domine illud collocare ausi sunt. Est in his Vincentius Fer-
rierius Valentiniensis a Callisto III. in Sanctos relatus, Ser-
mone unico Paschali de *CHRISTI Passione*. Neque enim *πλευραν*
πλευραν denominatio eo usque extendi debet. Et licet Hip-
pocrates lateris dolorem usque eo retulerit, hoc tamen pro-
pter partium consensum factum jam pridem observarunt
Medicorum filii.

§. XVI. Denique Caspar Bartholinus, celebris Medi-
cus Danus, ac post votum in acuto morbo factum, Theologus
insignis; itemque Patris in professione medica successor Tho-
mas,

mas, Vir incomparabilis, solam pleuram sine pericardii cor-
disque læsione perforatam contendunt. Statuunt vero in
capacitate thoracis nunc minus esse aquei coloris, nunc plus,
pro cuiusque temperamento: inque CHRISTO ob doloris
magnitudinem humorem hunc fuisse adauctum.

§. XVII. Interea quia plerique Theologi consentiunt
miraculosum fuisse illum sanguinis & aquæ fluxum, perinde
forsan fuerit unde illum derivemus, modo non a latere nimis
abeamus: id quod sane factum a Ferrerio.

§. XVIII. Aliqui putant ferrum lanceæ inter pectus &
femur adauctum, indeque lanceam cor versus ascendisse. At-
que hoc inde exsculpunt, quia CHRISTVS in alto pependit,
miles terræ institerit, ut si cor peteretur, ex inferiori cor-
poris parte ad superiora fuerit deveniendum. Fuit in hac
sententia Vincentius Bellovacensis, & Alexander ab Ales. Sed
non moti eo essent argumento, si novissent cogitassentque,
crucifixos non multum elevatos a terra, frustraneamque om-
nem illorum esse disputationem, qui pro altitudine crucis
CHRISTI, tamquam pro aris & focis, dimicant.

§. XIX. Deponemus nostram lanceam, si pauca prius
monuerimus, quo animo miles hoc hastile in CHRISTI latus
torserit. Ex sacro textu liquido id non patescit. Nam etsi
Evangelista dicat, factum id esse ut Scriptura impleretur:
ἐγένετο γὰρ ταύτα, ἵνα γραφή πληρωθῆ. Ubi illud *ἵνα* non ita ca-
piendum, quasi miles hoc animo CHRISTVM transfoderit,
ut impleretur, quod de osse non frangendo in institutione
Agni Paschalis præceptum fuerat a DEO Exod. XII. v. 46.
Numer. IX. v. 12. aut quod Zacharias prædixerat; visuros
Judæos, quem pupugissent. Non ea Scripturæ notitia alieni-
genæ, nec ea pietas. Sed *ἵνα* sumitur hoc loco *consequenter*,
uti vulgo loquuntur: hoc est, non militis notatur propositum,

sed solum rei eventus. Nempe factum, ut impleretur, valet idem, ac si dixisset: Sic factum, ut impleretur: sive: Sic impletum est, quod praedictum fuit.

§. XX. Plurimi militem eo conjiciunt fuisse animo, ut expiscaretur, an, sicuti apparebat, revera anima a corpore separata mortem induxisset ei, in quem jam omnium oculi anxia cura converterentur. Persuatum id fuit Lipsio lib. II. de Cruce cap. XII. scribenti: *CHRISTO miles mortuo lancea latus aperuit, scilicet periculum facturus, an bona fide obiisset.* Ante Lipsium Marcus Vigerius eandem imbiberat suspicionem, cujus sententiam ex libello de Controversia Excellentiae Instrumentorum Dominicae passionis non pigror adscribere: *Et nihil erit efficacius ad ostendendum salutem nostram fuisse perfectam, hoc vulnere lateris Christi: quod certissime nos certos reddidit Christum in violenta passionis cruce fuisse exanimatum.* Neque enim temere, vel fortuito, ut inter Apocrypha legitur, Longinus caecus, incerto vulnere Christum percussit: Sed ut experiretur an verè mortuus esset, partem maxime sentientem pungere coepisse expertum militem ac cautum existimo. Cumque nullum ex punctura signum sentiendi apparuisset, ferrum infixit & profunda vit in latus, ut vel sic certior fieret, & omnes aperte cognoscerent Christum non esse sopitum, sed exanime corpus in cruce pendere.

§. XXI. Attamen is vulnerati lateris scopus ex D. Johanne vix probabitur. Cunctis enim, ne Pilato quidem excepto, CHRISTVM sine fuce mortuum jam tum innotuerat, diu antequam de accipienda & in latus CHRISTI contorquenda lancea cogitaret miles: videruntque ipsi commilitones, quando spiritum anhelantem cum clamore efflaret, ut et ipse Centurio: ut fidem nunquam fallacem Johannes & Lucas fecerunt.

§. XXII.

§. XXII. Sola igitur militis requisitissimi hoc factum
petulantia, ut per tantam crudelitatem & expressum odium
majorum favorem & addictum animum sibi demeretur. Et
fortassis rabidorum quorundam ex Proceribus Judæorum
instigatio præcessit, ne quid intentati relinquerent, quo san-
ctissimo corpori CHRISTI & præsentibus ejus sectatoribus
ægre fieret. A qua conjectura non abit Chrysostronus, qui
Homilia LXXXIV. in Johannem non CHRISTI, sed ad
Judæorum conciliandam gratiam defuncto insultasse scele-
stas militum manus conqueritur.

§. XXIII. Extrema militis protervia ex eo denique elu-
cet, quod non cohibitus auctoritate centurionis sui, qui pu-
blicum innocentiae testimonium CHRISTO perhibuerat;
nec deterritus horribilibus prodigiis, quæ in oculos, aures,
omnesque sensus incurrerunt, in demortuum JESV corpus
adeo sævierit.

PRÆSTANTISSIME ERVDITISSIME QVE
DOMINE
PHILIPPE LANGE
FAVOR ET AMICE MEDVLLITVS
MIHI DILECTE

Quod Tibi sit cordi probitas, pie-
tasque probata,
Quodque tuo fixus pectore rarus
amor

Do-

23
Doctrinae solidæ, svavis quod candor
in ore

Totius & vitæ curriculo usque
micet:

Quod juvenile nihil placeat tibi: te-
stor, & isti

Virtutum studio prospera quæque
precor.

PRÆSES.



Ti 780

ULB Halle 3
002 500 698



Sb.

VDA7

W. C.





poterit, m
amque latin
pus in hac
mento aute
tio: et, du
atum mor
recolit; de
adlatis, de
sti et tristit
maximam.
de republ.
praefuit, o
tris memo
am concilie
precentur,
mine, factu
Numburge
tem minus
tus, cum e
de acerbisfi
noctis hori
fiat, atque
Deo dante
in aede sch
ueniant,
precib



m habere, e
aret, se tem
te. In argu
enda fuit ra
morian cruce
atoris sancte
in medium
tionem Chri
bis praebere
uenis huius
io fidelissime
fore, vt pa
m frequenti
elicia ipsi ap
pulorum no
S Bauer!
ob probita
enter proba
ra meditatio
ulis et dieiet
i. Quod vt
oresque cras,
cris, hora X
quentes con
ous possum
P.P. III
XII.

